

minis est mutare in melius vitam, sed illa potestas nulla est (utique complete et proxime), nisi detur a Deo, de quo scriptum est: Dedit eis potestatem filios Dei fieri; et de eadem libertate proxima intelligendum quod idem Augustinus alibi dixit: Liberum arbitrium ad amandum Deum peccati granditate perdidimus, utique quoad proximam potestatem, quæ est per gratiam et auxilium, cujus indigni per peccatum facti sumus, nisi per Christum fuisset reparatum. Et ideo, lib. de Grat. Christi, c. 50, non amissam potestatem, sed infirmam et inermem factam esse per peccatum naturalem possibilitatem, dicit ex sententia Ambrosii: Et hæc est (inquit Augustinus) per peccatum vitiata natura, cui sola per mediatorem Dei et hominum, et omnipotentem medium divina subvenit gratia.

16. De hac ergo proxima libertate procedit regula posita, et contra illam sic intellectam

FINIS LIBRI QUARTI.



non procedit objectio, ut facile ex dictis patet; distinguitur ergo sequela; nam si intelligatur de libero arbitrio remotissimo et radicali, negatur sequela; si de proximo, conceditur; nec contra hunc sensum procedunt rationes quibus falsitas consequentis probatur; nam Augustinus, dicto loco de Spirit. et litt., loquitur de virtute remota et radicali liberi arbitrii, et hæc eadem non potest dari per formam extrinsecam: potest autem compleri, et in perfecta potestate constitui, et quia bruta omnino carent hac libertate, etiam remotissima, ideo non sunt gratiæ capacia: per peccatum item non perditur radicalis libertas, perdi autem potest proxima potestas, quatenus perditur gratia, et posset tolli omne auxilium gratiæ, si dignitas peccati consideretur; de facto autem non privatur homo omnibus auxiliis gratiæ propter peccatum, et ideo proximam libertatem ad pie operandum non amittit.

INDEX CAPITUM LIBRI QUINTI

DE AUXILIO EFFICACI GRATIÆ DEI.

- CAP. I. *Quotuplex sit auxilium efficax.* CAP. IX. *Proponitur opinio affirmans efficaciam auxilii prævii consistere in physica prædeterminatione voluntatis per modum actus primi, ac proinde talem prædeterminationem ad omnes et singulos actus pietatis esse necessariam.*
- CAP. II. *Utrum auxilium efficax sit ad singulos actus pietatis necessarium, vel solum ad aliquos, vel aliquam eorum multitudinem.*
- CAP. III. *Utrum auxilium efficax in omni statu et in omnibus personis, sit ad salutem et ad omnes pietatis actus necessarium.*
- CAP. IV. *Utrum gratiæ efficacitas consistat in necessitate quam infert voluntati, ut non libere, sed necessario consentiat.*
- CAP. V. *Utrum auxilium sit excitans, seu in aliqua excitatione positum, præsertim juxta mentem Augustini.*
- CAP. VI. *An efficax auxilium consistat in motione, vel in effectione de se et natura sua prædeterminante physice voluntatem humanam ad unum actum, et exercitium ejus.*
- CAP. VII. *Utrum auxilium efficax necessarium ad pie operandum sit positum in aliqua excitatione per se, et ex vi suæ naturæ, ac præcise entitatis, prædeterminante physice voluntatem ad consensum.*
- CAP. VIII. *Utrum excitans gratia per seipsam, et natura sua determinet, saltem moraliter, voluntatem, ideoque talis efficacia auxilii excitantis ad actus liberos et sanctos voluntatis necessaria sit.*
- CAP. IX. *Proponitur opinio affirmans efficaciam auxilii prævii consistere in physica prædeterminatione voluntatis per modum actus primi, ac proinde talem prædeterminationem ad omnes et singulos actus pietatis esse necessariam.*
- CAP. X. *Directe ostenditur auxilium efficax necessarium ad singula supernaturalia opera, non posse consistere in motione vel qualitate prædeterminante physice in actu primo voluntatem ad consensum.*
- CAP. XI. *Corollaria quibus ratio ab incommodis distinctius concluditur.*
- CAP. XII. *Quibusdam effugiis rationis factæ occurritur.*
- CAP. XIII. *Objectionibus contra discursum factum satisfit.*
- CAP. XIV. *Utrum possibile sit auxilium efficax physice prædeterminans voluntatem in actu primo, salvo libero usu ejusdem voluntatis in eodem actu secundo, ac subinde an libertas, quoad exercitium in actu voluntatis, simul possit cum auxilio physice et in actu primo prædeterminante voluntatem concordari.*
- CAP. XV. *In humana voluntate non posse simul esse auxilium ex se ac physice illam prædeterminans, cum potestate resistendi eidem auxilio.*
- CAP. XVI. *Auxilium, si ex se sit effi-*

- caæ ac physice prædeterminans, non posse a libero usu pendere, sed necessitatem antecedentem inducere.
- CAP. XVII. *Vis superioris discursus alio modo manifestatur, et argumentis satisfi.*
- CAP. XVIII. *Utrum concursus Dei simultaneus ex se prædeterminet voluntatem ad concursum.*
- CAP. XIX. *Utrum concursus simultaneus, ut est a voluntate Dei, semper ac necessario habeat vim prædeterminandi physice voluntatem.*
- CAP. XX. *Utrum auxilium efficacæ prædeterminans physice voluntatem, influendo immediate in actum ejus liberum, possibile sit.*
- CAP. XXI. *Quid addat auxilium efficacæ auxilio prævenienti sufficienti, seu vocatio efficacæ generali ac sufficienti vocationi, et an per congruitatem vocationis hoc sufficienter explicetur.*
- CAP. XXII. *Duabus objectionibus contra superiorem doctrinam satisfi.*
- CAP. XXIII. *Satisfi alteri objectioni, et a variis incommodis doctrina data vindicatur.*
- CAP. XXIV. *Concluditur vera concordia libertatis arbitrii cum efficaci auxilio, ejusque necessitate in gratiæ operibus.*
- CAP. XXV. *Aliis objectionibus contra superiorem concordiam ab incommodis desumptis satisfi.*
- CAP. XXVI. *Doctrina data de auxilio efficaci et concordia ejus cum libero arbitrio, verbis Christi Matth. 11 comprobatur.*
- CAP. XXVII. *Eadem doctrina aliis Scripturæ locis ad bonum usum gratiæ exhortantibus suadetur.*
- CAP. XXVIII. *Alia Scripturæ testimonia contra physicam prædeterminationem expenduntur.*
- CAP. XXIX. *An loca Scripturæ que dependentiam liberi arbitrii a voluntate et omnipotentia divina testantur, physicam prædeterminationem ostendant.*
- CAP. XXX. *An Scriptura dicat Deum dare nobis velle propter physicam prædeterminationem.*
- CAP. XXXI. *An soli Deo tribuantur in Scriptura opera pietatis propter physicam prædeterminationem.*
- CAP. XXXII. *An Deus faciat ut velimus et faciamus per physicam prædeterminationem, aut efficientiam.*
- CAP. XXXIII. *Ex capite quinto et canone quarto sessionis 6 Concilii Tridentini, veritas confirmatur, et quædam evasio refellitur.*
- CAP. XXXIV. *Alteri evasioni occurritur.*
- CAP. XXXV. *Ad fundamenta contrariæ interpretationis respondetur.*
- CAP. XXXVI. *Ex aliis locis ejusdem Concilii Tridentini eadem veritas confirmatur, et aliis objectionibus occurritur.*
- CAP. XXXVII. *Expenduntur canones quatuor Concilii Milevitani et Arausiacani, et an Deus expectet hominis voluntatem exponitur.*
- CAP. XXXVIII. *Expenduntur canones quintus et vigesimus-quintus Concilii Arausiacani, et an initium bonæ operationis sit vel non sit a libero arbitrio declaratur.*
- CAP. XXXIX. *Quid alia Concilia vel Pontifices Summi de gratia efficaci senserint.*
- CAP. XL. *Ex Patribus Augustino anti-*

- quioribus physica prædeterminatio refellitur, et vocatio congrua comprobatur.
- CAP. XLI. *Antiquos Patres nihil pro physica prædeterminatione nobis tradidisse.*
- CAP. XLII. *Augustinum in vocatione congrua, sine physica prædeterminatione, efficacem prævenientem gratiam constituisse.*
- CAP. XLIII. *Utrum Augustinus physicæ prædeterminationi aliquando faveat.*
- CAP. XLIV. *Quid, post Augustinum, Patres Latini de Gratia efficaci senserint.*
- CAP. XLV. *Quid divus Thomas de hac controversia, seu de auxilio gratiæ efficaci senserit.*
- CAP. XLVI. *Quid alii antiqui Scholastici in hac controversia senserint.*
- CAP. XLVII. *Quid moderni Scriptores de hac controversia senserint.*
- CAP. XLVIII. *Tractatur quæstio appendix, an auxilium sufficiens et efficacæ possint esse æqualia in duobus hominibus, quorum unus consentit vocationi, et non alter.*
- CAP. XLIX. *Dubium appendix de concordia gratiæ efficaci cum gratuita et efficaci electione ac prædestinatione salvandorum omnium, et cum divina providentia ac prædefinitione actuum liberorum humanæ voluntatis.*
- CAP. L. *Appendix de prædefinitionibus, cum aliarum objectionum responsione.*

LIBER QUINTUS.

DE AUXILIO EFFICACI

GRATIÆ DEI.

PRÆLUDIUM.

In libri præcedentis initio, præmisimus partitionem actualis auxilii Dei in sufficiens et efficacæ, primumque illius divisionis membrum per totum illum librum prosecuti sumus; nunc de altero membro dicendum superest; in eo enim explicando, præcipue videtur Augustinus in suis libris contra Pelagianos eorumque reliquias laborasse, et in hoc tempore, exacta ejus disputatio et cognitio valde necessaria est ad mediam veritatis viam ita tenendam, ut nec ad Pelagianam impietatem, beneficium hujus gratiæ non agnoscentem, nec ad extre-

mam Calvinianam, libertatem arbitrii, specie recognoscendi gratiæ efficaciæ, negantem, declinemus. Quod quia obscurum et difficillimum est, magna est his temporibus inter Catholicos Doctores controversia, quam ea moderatione tractare curabimus, ut sine ulla nota aut censura opinionis alieujus, quid verum, et definitionibus Conciliorum et doctrinæ Augustini magis consentaneum esse nobis videatur, simpliciter proponamus: quanquam enim, ad veritatem quam credimus persuadendam, sæpe necessarium futurum sit, quid periculi

declinandi in hunc vel illum errorem in sententia contraria esse possit vel appareat, per urgentes rationes et illationes judicare, nunquam tamen intentionis nostræ erat notam vel infamiam talis erroris alicui opinioni Catholicorum Doctorum inurere, sed solum vim et efficaciam rationum ostendere, obsequentes in omnibus Sedis Apostolicæ jussionibus, quibus, in hac maxime controversia, non tantum a censuris et contumeliis, verum etiam ab omni verborum amaritudine et aculeo abstinere, omnibus commendatum est, et novissime a Sanctissimo Domino Nostro Paulo V.

CAPUT I.

QUOTUPLEX SIT AUXILIUM EFFICAX.

1. *Ratio nominis.* — Quod ad nomen attinet, in libro præcedenti, cap. 1, ambiguitatem vocis abstulimus, quia interdum vox *efficax* solam potentialem (ut ita dicam) efficaciam significat, quæ interdum esse potest in habitu vel auxilio potentiæ liberæ, etiamsi de facto effectum non consequatur, seu operetur, in quo sensu etiam auxilium sufficiens est efficax; proprie tamen in præsentī materia significat vox illa talem auxilii efficaciam, quæ ab actione seu effectu non separatur, sed infallibiliter habet illum conjunctum. Et fortasse hac ratione aliqui distinxerunt auxilium efficax in actu primo et in actu secundo; nam in priori significatione, efficacitas illa de se in solo actu primo sufficientem vim activam habente salvatur, et ideo talis virtus vel auxilium dicitur efficax in actu primo; in altera vero significatione, actus primus non separatur a secundo, et ideo dici etiam potest auxilium efficax in actu secundo: non quia auxilium efficax formaliter et per se sit semper actus secundus, non est enim hoc necessarium, ut videbimus; sed quia vel est actus secundus, vel saltem non est sine actu secundo, seu semper est in actu secundo. In quo sensu divisio non est cur rejiciatur, procedit tamen ex dicta vocis æquivocatione, qua sublata, non est in illo sensu necessaria, quia auxilium efficax, absolute dictum et a sufficiente condistinctum, semper est in actu secundo; in alio vero sensu, utilis erit, ut mox dicam; quod autem aliquod detur auxilium efficax talem habens efficacitatem, in dicto cap. 1 præcedentis libri probatum est, quod hic repetere non est necessarium. Ut autem varias et gravissimas difficultates quæ in hoc

auxilio explicando occurrunt, quid, nimirum, sit, quo modo detur, et cum libertate arbitrii in concordiam redigatur, et similes, distinctius tractemus, operæ pretium erit alias divisiones hujus auxilii in hoc capite præmittere, quæ non parvam lucem afferent, nam occasionem præbebunt ad explicandos terminos, quibus in sequentibus utendum nobis est.

2. *Divisio auxilii efficacis in excitans et adjuvans.* — *Alia divisio in concomitans et præveniens.* — Secundo ergo dividitur auxilium efficax in excitans et adjuvans: non tamen omnes hanc divisionem admittunt, putant enim non dari auxilium excitans, quod intra gradum et latitudinem excitantis efficax sit. Nos autem contrarium de *excitante* ostendemus in cap. 5, et ideo nunc de hac divisione sub his terminis nihil amplius dicemus; sub aliis vero terminis universalioribus facilius recipietur divisio, nimirum, ut auxilium efficax quoddam sit concomitans, et aliud præveniens; quam divisionem sub his terminis tradit Ledesma, tract. de Auxiliis, quæst. 1, in principio, notabil. ultim., dicitque esse communem eorum auctorum, qui physicam prædeterminationem defendunt; et licet in fine promittat in toto illo tractatu explicare an divisio sit bona, id plane intelligit ex parte membri posterioris de Auxilio præveniēte; sed ex ea etiam parte nos de divisione non dubitamus, licet de illo auxilio præveniēte quale sit, inter nos sit controversia. Quod adeo constanter asserui lib. 3 de Auxiliis, cap. 3, ut in fine illius capituli, dixerim auxilium concomitans non proprie dici efficax, quia non tam est effectivum quam ipsa effectio; sed quidquid sit de illa rigorosa proprietate, certum est, eo modo quo illud est auxilium, et semper ac infallibiliter habet effectum conjunctum, esse auxilium efficax, juxta descriptionem auxilii efficacis in principio positam, quam etiam dictus auctor supponit. De alio vero membro auxilii præviū efficacis, id satis probavimus in dicto cap. 1 præcedentis libri. Inter hæc autem duo auxilia, præveniēns antecedit actionem voluntatis, saltem ordine naturæ et ut aliquale principium ejus, et proinde est in re aliquo modo ab ipsa distinctum; concomitans vero, prout a præveniēte distinguitur, non est aliquid in re distinctum ab actione voluntatis, sed in ipsa imbibitur; unde non est principium ejus, sed est ipse concursus, vel influxus actualis gratiæ imbibitus in ipso. Atque hinc fit ut notior multo sit efficacia auxilii concomitantis quam præveniēntis,

quia concomitans physice connectitur cum actu voluntatis, tanquam via cum termino, a quo est physice inseparabilis, etiam de absoluta Dei potentia, et ideo tale auxilium dicitur efficax in actu secundo. Auxilium autem præveniēns comparatur ad actum voluntatis, tanquam causa ad effectum, vel ut principium ad actionem, cum qua infallibiliter connectitur: nam hoc habere debet ut sit efficax, et ideo hæc efficacitas recte potest vocari in actu primo, non quia separetur in re a secundo, sed quia, prout natura et ordine causalitatis antecedit, in ipso actu primo invenitur. Et ideo hoc auxilium efficax præveniēns, *prædeterminans* solet a multis appellari, quia efficaciter determinat voluntatem liberam ad consensum. De hoc ergo auxilio præviū efficaci, seu in actu primo, est præcipua controversia: nam, ut dixi, in altero auxilio concomitante, aliqua efficacia proportionalis, utique concomitans, nota est, ut dixi, et facilem habet concordiam cum libero arbitrio, quia non includit suppositionem antecedentem, sed subsequentem: nihilominus tamen etiam in illo habet peculiarem difficultatem, an possit habere rationem prædeterminantis auxilii, et ideo de duplici prædeterminatione in actu primo et in actu secundo, seu per auxilium præveniēns vel concomitans, nobis disputandum erit.

3. *Alia in simultaneum et præcedens seu prius.* — Tertio, dividi potest auxilium efficax in simultaneum, et præcedens, seu prius, quæ quidem divisio cum præcedenti in re convertitur, nam auxilium concomitans simultaneum est, præviū vero seu præveniēns auxilium est prius seu præcedens. Per has ergo posteriores voces insinuantur singulæ proprietates utriusque membri præcedentis divisionis, et ad illas vocesque ipsas explicandas, hanc divisionem addidimus. In qua primum advertimus, cum termini illi, *simultanei* vel *prioris*, sint relativi, comparari posse, vel ad terminum, seu effectum qui per talia auxilia fit, vel ad influxum liberi arbitrii comparatum cum auxilio Dei. Non sunt ergo accipienda illa membra per comparisonem ad terminum, vel effectum auxilii, sed per comparisonem ad influxum liberi arbitrii. Nam respectu termini seu effectus, utrumque auxilium tam concomitans quam præveniēns est simul tempore, quia ille effectus in momento fit, et de ratione auxilii efficacis est ut ab illo non separetur, sed eum infallibiliter inducat, ut supponimus. Utrumque item auxilium est prius natura ipso effectu, unum tanquam ac-

tio suo termino, aliud tanquam causa suo effectu. Comparantur ergo ad influxum liberi arbitrii, unde etiam necesse est ut secundum naturæ ordinem, et non in duratione sola, comparentur. Nam quoad tempus omne auxilium efficax, ut efficax, est simul tempore cum cooperatione liberi arbitrii, quia de concomitante id est per se manifestum, cum sit concursus ad ipsummet actum liberi arbitrii; de præveniēte autem patet ex ratione proxime facta, quia auxilium efficax, etiam præveniēns, est infallibiliter conjunctum cum suo effectu; sed ille effectus non fit sine cooperatione nostra, ut supponimus; ergo sicut illud auxilium est simul tempore cum suo effectu, ita etiam cum voluntatis influxu; igitur divisio intelligitur secundum ordinem naturæ. Nam auxilium efficax *simultaneum*, dicitur illud quod non est prius natura, et in hoc sensu loquantur necesse est Scriptores moderni, qui jam nobiscum admittunt auxilium simultaneum, et in hoc illud distinguunt a præviū, quod dicunt esse prius. Nam cum hoc secundum non potuerint intelligere de prioritare temporis, sed naturæ (ut ipsimet declarant, quia alias destruerent efficaciam talis auxilii), necesse est ut illud primum intelligant etiam de simultate naturæ. Ratio autem clara est, quia auxilium concomitans et influxus liberi arbitrii non comparantur inter se tanquam causa et effectus, nec distinguuntur in re ipsa, sed tantum ratione, et ideo dictum naturæ ordinem inter se non habent; auxilium autem præviū est causa liberæ nostræ cooperationis, et ideo est prius natura quam illa. Unde obiter intelligitur, comparando inter se hæc duo auxilia, comitans et præviū, seu simultaneum et præcedens, simul tempore esse, præviū tamen esse prius natura quam concomitans. Primum patet, quia auxilium præviū est simul tempore cum nostra cooperatione, ut probatum est: sed auxilium comitans est etiam simul tempore cum nostra cooperatione: ergo, de primo ad ultimum, etiam illa duo auxilia sunt simul tempore inter se. Secundum item probatur, tum quia præviū auxilium est prius natura quam nostra cooperatio, ut dictum est; ergo etiam prius quam auxilium comitans. Probatur consequentia; tum quia auxilium concomitans et nostra cooperatio sunt simul natura; tum quia auxilium præviū comparatur ad comitans tanquam principium ad actionem: nam actualis influxus gratiæ manat a principio gratiæ tanquam actio ejus; sed principium